



**R. P. Georgii de Rhodes Avenionensis S. J. disputationum
theologiae scholasticae tomus ...**

Rhodes, Georges de

Lugduni, 1661

Qvæstio III. De obiecto meriti, siue de præmio quod meremur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81987](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81987)

ad id magis meritorij, nam ut eo loco dixi actus virtutum Theologicarum longe præstant actibus virtutum moralium, inter Theologicas autem præstantissimi sunt actus charitatis Dei & proximi interni & externi: inter morales præstantissimi sunt actus virtutis religionis, & inter eos votum rei difficillimæ superat merito & dignitate alios omnes actus, quia in virtute religionis nihil est præstantius, imò nulla ferè virtus est quæ non includatur perfectissime in votis statum religiosum constituentibus.

Secunda conditio. Secunda est perfectio intensiva actus interni voluntatis, id est summo cum affectu magno cum conatu, magno cum gaudio, id est magno cum fervore actus eliciantur: actus enim internus est, qui totum continet meritum, unde ille si fit solus, ut dixi, est maxime meritorius, & cum etiam minimum actum externum informat, applicat illi totum suum meritum.

Tertia. Tertia est perfectio extensiva multitudo scilicet & frequentia illorum actuum, cum videlicet per annos plures sine interruptione illi exercentur, imò cum in quolibet actu externo plures adhibentur actus diversarum virtutum: tunc enim mirum omnino est quantum crescat & abundet gratia, si constanter per annos plures exercentur huiusmodi actus.

Quarta. Quarta est duratio singulorum actuum, quia continuatio actuum augeat meritum eorum ut probabo postea. Quæ quatuor quisque diligenter consideraverit ut supra monebam, ille inveniet viam tutissimam negotiandi, & thesaurizandi sibi thesauros in cælo.

QVÆSTIO III.

De obiecto meriti, siue de premio quod meremur.

Hoc vnum superesse videtur de merito, postquam enim statui nos mereri per nostros actus, & per quos actus mereri possimus, restat dicendum quid mereamur. Possunt autem quæcunque meremur reuocari ad tria capita. Primum, dona gratiæ actualis. Secundò, dona gratiæ habitualis. Tertiò, dona gloriæ, id est vocationem, iustificationem, glorificationem.

SECTIO I.

An & quomodo mereri possimus auxilia gratiæ actualis.

Certum est primò, quod nemo secundum potentiam ordinariam mereri sibi vnquam potest vel condigne vel etiam congruè vel proximè vel remotè primam gratiam actualem, quæ elicitur primum bonum opus. Ita censent Catholici omnes tanquam fide certum contra Semipelagianos, qui volebant primam gratiam dari ex meritis ut supra sæpè dictum est: & ratio assertur clarissima præter Scripturas & Concilia in quibus id definitur. Si enim mereatur aliquis primam gratiam, vel illam mereretur per opus aliquod naturale, quod constat esse impossibile, vel per aliquod opus supernaturale, & hoc fieri non potest quia illud opus supernaturale præsupponeret gratiam, ergo non posset causare gratiam, & esse illa prior ut magis constabit etiam ex sequentibus.

Homo iustus potest mereri aliter gratiæ de congruo. Certum est secundò, quod homo iustus mereri aliter potest primam gratiam de congruo non de condigno. Ratio est, quia multi sæpè Sancti possunt esse causæ totius prædestinationis aliorum, nulla enim in hoc est implicantia. Imò constat quod Sanctus

Stephanus meritis est Sancto Paulo vocationem illam magnam & efficacissimam quæ ex lupo factus est agnus. De condigno autem nemo potest mereri etiam alteri gratiam quæ resurgat à peccato, quia hoc est solius Christi proprium qui solus etiam potuit satisfacere pro peccato.

Certum est tertiò quod mereri sæpè possumus plures gratias actuales quæ sequuntur primam illam gratiam quam nullus mereri potest: quia in eo nulla est implicantia quod per opus factum ex gratia, promereamur ut Deus vltiores gratias tribuat: imò hic est ordo convenientissimus providentiæ quem etiam ordinariè Deus servat in distributione gratiarum, iuxta illud Matth. 13. *Habenti dabitur, & ei qui non habet auferetur ab eo*, Vbi significatur quod Deus ei qui vacuas esse non sinit gratias acceptas, confert novas & novas: ei verò qui abutitur gratiis acceptis, denegat gratias posteriores, *Curauimus Babylonem & non est sanata, derelinquamus eam*. Et hoc est canticum illud luctuosissimum quod Deus vineæ suæ cantat Isaia 5. *Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ & non feci, &c. Et nunc ostendam vobis quid? ego faciam vineæ meæ, auferam sepem eius & erit in direptionem, &c. His positis.*

Tota difficultas est primò, vtrum per potentiam Dei absolutam fieri possit ut mereatur sibi aliquis primam gratiam. Secundò, an & quomodo mereri possimus gratias efficaces, & donum finalis perfectionis.

§. I.

Vtrum per potentiam Dei absolutam mereri aliquis sibi possit primam gratiam actualem.

Quamuis fateantur Catholici omnes esse secundum potentiam ordinariam impossibile ut mereatur sibi aliquis primam gratiam, quod tamen secundum potentiam absolutam possumus illam mereri, multi docent grauissimi Theologi cum Suare, & Coninck disp. 8. qui non vno id modo explicant.

Ratio enim dubitandi est primò, quia si possunt causæ sibi esse mutuo causæ, ac dari mutua causalitas inter causam & effectum, potest etiam principium meriti siue prima gratia cadere sub merito: sed non est implicantia quod causæ præsertim moralis & physica sibi sint mutuo causæ, cum se mutuo causent causa finalis & efficiens: neque contradictio esse possit si sub diuerso respectu causæ & effectus sint inuicem priores & posteriores.

Secundò, dicit Suares admittendum hic esse ordinem intentionis & executionis, potest autem principium meriti siue auxilium gratiæ prout existens in executione causari per meritum existens in intentione, ergo potest mereri homo principium meriti per opera ordine naturæ posteriora quàm principium meriti.

Tertiò, Coninck num. 109. probat, posse fieri ut homo mereatur primam gratiam, quia Deus infundere potest illi gratiam, quam deinde merebitur per opera non ordine solum naturæ sed etiam tempore posteriora quàm meritum: Cur enim non potest hodie mihi dare gratiam, quæ nunc sum indignus, cras autem reddam me dignum illa gratia per opera bona quæ vel eliciam per tale auxilium gratiæ, vel per aliquod aliud auxilium ab eo priori dependens: sicut Rex præuidens strenuum aliquem militem egregiè pugnaturum, dat illi arma quibus benè pugnet: & sicut mercator vendere mihi potest merces quas postea soluam, videtur enim esse paritas omnimoda si Deus mihi det hodie gratiam pro cuius solutione cras ego rependam opus bonum.

T T t 3

Dico

Meremur gratias actuales.

Ratio prima dubitandi.

Secunda.

Tertia.

Assertio
prima.

Dico primò neminem etiam per potentiam Dei absolutam mereri sibi posse primum auxilium gratiæ. Ita docent communis Theologi adducti olim cum egi de merito vnionis ibi enim probata est veritas receptissimi axiomatis quod principium meriti cadere non potest sub meritum.

Probat.

Ratio nunc breuiter sit, quia meritum in eo à causa finali differt quod causa meritoria moueat præmiantem vt aliquid iam existens, & absolute præuisum, non autem vt aliquid tantum possibile, vel vt præuisum conditionatè: finis autem moueat vt aliquid nondum existens ad quod obtinendum aliquid sit: vnde finis in intentione sola præuisus causare potest: meritum autem semper existere debet prius natura quàm sit præmium, ergo præmium non potest existere prius natura quàm meritum: ergo nemo potest mereri primum auxilium per opera posteriora quæ ab auxilio illo pendent.

Deinde meritum non potest prius natura existere quàm præmium, nisi causa meriti prius existat quàm præmium: sed meritum vt dixi debet prius natura existere quàm præmium, est enim causa efficiens, ergo causa meriti debet prius existere quàm præmium, ergo præmium non est causa meriti, alioqui vt vides præmium esset se ipso prius. Denique implicat causas siue morales siue physicas esse sibi mutuo causas: nam tametsi causa physica in eo differat à causa morali, quod causa physica nunquam possit causare nisi actu habeat existentiam tempore illo quo causat, moralis autem causare possit, quamuis sit præterita, vel futura, in eo tamen ambæ conueniunt quod vtræque sit causa efficiens, & debeat prius pro aliqua differentia temporis existere, quàm existat effectus, causa enim moralis mouet quia est, erit, aut fuit: finalis mouet vt sit. Vnde argumentor causa meritoria causat ex eo quod hominem reddat laude dignum: sed opus possibile, vel conditionatè futurum neminem reddit laude aut probro dignum; nemo enim puniri potest pro peccatis quæ facere potest, vel quæ faceret si delegeretur à Deo, ergo neque laudari aut præmiari potest pro bonis operibus quæ facere potest, vel quæ faceret si haberet gratiam: ergo clarum est, quod nemo mereri potest per opera quæ non existunt prius natura quàm præmium.

Solutio
primæ diffi-
cultatis.

Ad primam Respondeo esse profus impossibile vt causæ sibi sint mutuo causæ, præter causam finalem quæ causare potest quamuis existat solum in intentione vt ostensum est: causa vero moralis non causat nisi existens in executione. Si causæ sibi essent mutuo causæ sequeretur quod idem sub eodem conceptu supponeret se ipsum, nam effectus supponeret se ipsum vt causam, ergo supponeret se ipsum vt effectum, quia prius est effectus, quàm sit causa.

Secundæ.

Ad secundam patet nihil hîc facere ordinem illum intentionis & executionis quandoquidem causa moralis debet prius existere in executione, neque satis est quod in sola existat intentione.

Tertiæ.

Ad tertiam Respondeo hanc ratiocinationem confundere donationem onerosam qui vocatur contractus innominatus do vt des, cum merito, & causam finalem cum meritoria; aliud est enim dicere do tibi gratiam vt benè opereris, & do tibi gratiam, in præmium tui boni operis: in priori enim datur gratia vt medium ad finem, in secundo datur vt præmium operis iam positi quod ad rationem meriti profus est necessarium. Vnde par omnino ratio est siue dicas nos mereri principium meriti per opus ordine temporis posterius, vel per opus posterius ordine natu-

ra: in quo statim patet meritum differre à solutione, quæ nunquam est prior venditione, sed illam supponit, meritum semper est prius quàm præmium. Quæcunque verò afferuntur exempla Ducis & Principis, probant duntaxat posse Deum moueri per bonum opus tanquam per causam finalem, non probant posse moueri tanquam per causam meritoriam. Dux enim dans arma militi quibus prænouit illum benè vsurum, dat vt benè vtatur, vnde bonus vsus armorum finaliter illum mouet, non mouet meritorie.

S. II.

An & quomodo mereri possimus gratias efficaces & donum perseuerantiæ finalis.

Difficultas etiam hîc est tum de potentia ordinaria, tum de absoluta, cum enim dictum sit mereri posse quemlibet gratias saltem sufficientes quæ sequuntur collationem primæ gratiæ, meritò queritur, vtrum etiam possimus infallibiliter & condignè mereri gratias congruas cum quibus infallibiliter sumus benè operaturi, & præsertim vtrum mereri etiam aliquis possit condignè magnum illud auxilium gratiæ diuinæ, quo moriamur amici Dei, siue vt de Moyse dicitur, *In osculo Domini*.

Ratio dubitandi est primò, Deus reddit, operibus nostris omne præmium cum quo illa proportionem habent: opera verò nostra proportionem omnino habent cum auxiliis efficacibus etiam illis sine quibus non perseueratur, ergo illa etiam auxilia congrua mereri possumus si enim mereri possumus gratias sufficientes quare? non possumus mereri etiam efficaces. Deinde plus est mereri augmentum gratiæ, quàm mereri eius conseruationem per gratiam efficacem, sed augmentum gratiæ possumus mereri, ergo mereri etiam possumus eius conseruationem per gratiam efficacem. Denique nō apparet ratio quare non possit homo iustus mereri de condigno vt si labatur in peccatum detur ei congruum auxilium ad penitentiam, ergo mereri possumus condignè gratiam efficacem etiam ad perseuerandum.

Secundò, tamen aliunde videtur quod ne diuinitus quidem mereri quisquam potest gratiam congruam præsertim perseuerantiæ: implicat enim vt Deus absolute velit auxilium efficax quatenus efficax, quia vellet absolute actum liberum voluntatis, siue quo gratia nō est efficax vt patet, sed implicat vt Deus absolute velit actum liberum, alioqui desineret esse liber, ergo implicat vt mereamur gratiam efficacem, præsertim ad perseuerandum, qui enim sic mereretur donum perseuerantiæ peccare non posset amplius & damnari. Denique nemo mereri potest condignè gratiam sibi aut alteri, quæ resurgat à peccato, ergo neque mereri potest gratiam congruam quæ abstineat à peccatis.

Tertiò, videtur posse fieri vt aliquis per potentiam absolutam ita mereatur perseuerantiæ finalem, vt meritum illud non impediatur per subsequens peccatum: Dicat enim Deus Petro volo vt per tua bona opera mereri possis præmium quod voles, modo illud non sit improporcionatum cum tuis bonis operibus: Petrus autem dicat volo vt in hora mortis des mihi gratiam efficacem ad eliciendum actum amoris, tunc Deus tenebitur in articulo mortis dare Petro illam gratiam efficacem, quamuis peccauerit, ergo tunc de condigno merebitur Petrus recuperare amissam gratiam.

Dico secundò, posse quemlibet iustum congruè mereri gratias efficaces etiam ad perseuerandum, condignè autem & infallibiliter nullus gratiam illam perseuerantiam

Status
questionis

Ratio pri-
ma dubi-
tandi.

Secundæ.

Tertiæ.

Conclusio
secundæ
bipartita

De Merito ut est effectus Gratiae Christi. 519

perseuerantiae aut etiam gratiam ullam efficacem, secundum potentiam ordinariam, secundum autem potentiam absolutam posset quilibet iustus condigne mereri gratiam perseuerantiae finalis & mortem in statu diuinæ amicitiae.

Pars prima probatur. Primam partem de congruo merito & non infallibili gratiae huius congruae tradit Augustinus *lib. de bono perseuer. cap. 17.* & cum eo omnes Theologi, videturque indicari à S. Petro, *Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem faciatis*, per bona enim opera & crebras orationes impetrari potest à Deo ut in ultimo instanti vitæ gratiam talem habeamus ut per illam vincantur infallibiliter omnes daemonum insultus & motus concupiscentiae: duo enim videntur exigi ad obtinendum tantum hoc donum. Primum, singularis Dei protectio impediens & auertentis omnia quæ impellere possent ad malum, auertendo videlicet molestas cogitationes, & prauos motus, coercendo Dæmones, ne noceant. Secundum, necessaria est Dei motio & inspiratio incitans hominem ad bonum, & ad malis auertens. Hæc duo valde conueniens erat ut benè operando & sæpè postulando exorare à Deo possemus, exigebat enim hoc suauissima Dei gubernatio & amor in suos: exigebat etiam utilitas hominum, ut proposito illo præmio ad benè operandum, & ad instantè orandum acuerentur.

Pars secunda. Secunda pars quod donum hoc tantum nemo condigne mereri possit, omnibus Catholicis certa est, adeo ut plerique putent illam etiam esse de fide cum sæpè videatur in Scriptura significari & in Tridentino sess. 11. & 13. *Tene quod habes, & caue ne alius accipiat coronam tuam* Apocalypsis 3. *qui se existimat stare videat ne cadat* 1. ad Corinth. 10. *Cum timore & tremore salutem vestram operamini*, Philippensium 2. docetur à S. Thoma *quæst. 114. art. 9.* Bellarmino *lib. 5. de Iustificacione cap. 22.* Suare *lib. 12. cap. 26.* Caietano, Valentia, Conrado.

Probatur. Ratio autem euidens est, quia si per bona opera quæ homo iustus elicit, mereretur infallibiliter & condigne auxilia efficaciter præsertim ad perseuerandum, sequeretur quod quilibet semel iustificatus & post acceptam iustitiam benè operans, nunquam deinceps malè ageret neque damnaretur, si enim mereretur infallibiliter gratias efficaces ad benè operandum ad vitandum peccatum & moriendum in gratia certè nunquam amplius malè ageret, neque de facto damnaretur, consequens illud falsum & absurdum est, ergo nullus infallibiliter meretur gratias efficaces, neque donum perseuerantiae. Quæ ratio ut vides demonstratiua est conclusitque quod gratiam efficacem Deus non proposuit in præmium vilius boni operis à nobis elicit: tamen certum est quod potuit illam proponere in præmium, bona enim opera nostra ex se sunt proportionata cum auxiliis illis efficacibus, ergo acceptare illa opera Deus potest præsertim cum auxilium efficax entitatiuè nihil habeat quo superet auxilium sufficiens.

Solutio primæ difficultatis. Ad primam ergo Respondeo proportionem operis cum præmio non sufficere ad meritum, nisi Deus acceptet illa ad tale præmium, opera verò nostra non acceptauit Deus ad merendas gratias efficaces, quibus perseueraretur in finem sine peccato, imò nec ad merendas vllas gratias efficaces, ut conuincere videtur allata ratio, quas propterea nunquam Deus dat nisi ex misericordia, unde meritò dictum est ab Apostolo *cuius vult miseretur* id est vocat efficaciter. Esto maius sit augere gratiam quam illam conseruare, Deus tamen acceptat actus nostros ad condigne promerendum augmentum gratiae, non acceptat ad perseuerandum in gratia vsque in finem. De merito autem per peccatū interrupto dicitur statim.

Ad secundam Respondeo illum qui habet gratiam efficacem ad non peccandum posse tamen peccare, quamuis infallibiliter non sit peccaturus Deus potest velle auxilium efficax, etiam ut efficax in actu secundo, eodem modo quæ prædefinire potest actum liberum, cum conditione scilicet aliqua saltem virtuali. Verum est quod nemo sibi mereri potest vel alteri auxilium congruum ad resurgendum à peccato, quia solius est hominis Dei satisfacere: potest autem mereri auxilium ad abstinendum à peccatis, quia sine satisfactione tale auxilium obtineri potest.

Ad tertiam Respondeo esse impossibile simpliciter ut aliquis ita mereatur perseuerantiam finalem, ut illud meritum non impediatur per peccatum mortale subsequens, quia certum est quod per peccatum omnia prorsus merita extinguuntur sicque fieri non potest ut Deus teneatur dare homini tanquam præmium gratiam efficacem in articulo mortis, si post bonum opus, peccauerit, quia per peccatum amittit totum ius ad gratiam & gloriam.

SECTIO II.

An & quomodo mereamur gratiam sanctificantem.

Distingui similiter hinc potest prima gratia sanctificans, siue illa iuncta sit cum remissione peccati ut sit in nobis, siue non præcedat vllum peccatum ut in Angelis primis parentibus & Virgine immaculata: Deinde augmentum gratiae, postremò consummatio & perseuerantia gratiae vsque in finem. Quæ omnia ex hæcenus dictis perspicua sunt & hic obiter tantum iudicanda.

Certum enim primò sit, quod primam gratiam iustificantem siue iuncta sit cum remissione peccati mortalis, siue non sit, nemo vnquam mereri condigne potest vel sibi, vel alteri habenti peccatum, etiam per potentiam Dei absolutam. Ita communius censent Theologi quorum plerique tenent hoc esse certum ex Fide: negare tamen videntur omnes qui cum Vasque putant contritionem & dilectionem super omnia sanctificare formaliter, putant enim eum qui amat, ita per amorem illum dignificari ut mereatur condigne gratiam, quod reicitur communiter, quia manifestè dicit Apostolus Roman. 3. *Iustificati gratias per gratiam ipsius*, & definitur satis apertè in Trident. sess. 6. cap. 8. & probatur, quia omne meritum condignum necessario præsupponit gratiam, sed optus meritum quod causat primam gratiam habitualement, non præsupponit gratiam habitualement, ergo non potest per illam dignificari, ergo nullum opus bonum potest condigne mereri primam gratiam sanctificantem: Valletque hinc omnino ratio facta pro merito primæ gratiae actualis: possumus autem congruè primam hanc sanctificationem, quia non requiritur ad meritum congruum ut opus dignificetur per gratiam. Similiter ergo nemo mereri condigne potest remissionem peccati mortalis, sed tantum congruè: remissionem autem peccati venialis mereri etiam condigne possumus sed indirectè tantum ut dictum est cum agerem de satisfactione Christi.

Certum est secundò, neminem esse iustum qui per singula sua opera supernaturalia interna & externa non mereatur de condigno augmentum gratiae inherens. Ita tanquam certum ex fide Catholici omnes supponunt dicente Apostolo Roman. 6. *Liberati à peccato serui autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam*, & definitur in Tridentino sess. 6. cap. 10. & Canone 32. Ratio autem est, quia in operibus illis iustorum omnes reperiuntur conditiones meriti condigni. Prima ex parte Dei

Tertium.

Gratia augmentum & perseuerantia illius.

Iustum meriti de condigno gratiae augmentum probatur.

Dei acceptatio est & promissio, quàm ab initio Scripturæ usque ad finem habemus consignatam, ut abundemus in omni opere bono sciētes quod labor noster non erit inanis in Domino, numerat videlicet Deus capillos capitis iustorum, obseruat suspiria cordis, labiorum motus, scribit omnia in libro rationum, redditurus in fine mercedem pro singulis: quæ certè Dei misericordia incredibiliter consolatur, & stimulat credentes in eum qui dabit coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, & pallium laudis pro spiritu mœoris. Secundò, ex parte operantis reperitur dignitas gratiæ, quæ ad similitudinem quandam diuinæ nobilitatis eleuat operantem. Tertiò, ex parte operis reperitur æqualitas cum sint actus positiui, honesti, supernaturales, neque sæpè desit imperium charitatis cum qua Spiritus Sanctus semper diffunditur in cordibus, reddens testimonium Spiritui eorum quod sunt Filij Dei.

Denique de conseruatione ac perseuerantia gratiæ usque in finem nihil habeo quod addam iis quæ nuper dicta sunt sectione præcedenti.

SECTIO III.

An & quomodo mereamur gloriam beatitudinis æternæ.

Beatitudo
per bona
opera.

Certum est primò, quod iustus per opera sua bona, sic meretur gratiam quæ Dei euadat amicus & filius, ut eodem etiam tempore mereatur æternam beatitudinem tum essentialē, tum accidentalem. Ita enim pollicentur Scripturæ omnes, *Quod qui seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam: & cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ quam repromisit Deus.* Sic etiam definit Tridentinum sess. 6. c. 16. & Can. 32. Probantque omnia quæ initio disputationis dicta sunt ad probandam existentiam meriti, eò enim spectabant omnia ut certò persuaderent tanti esse apud Deum opera bona filiorum suorum, ut nihil minus proponat illis in mercedem, quam se ipsum in gloria possidendum, *Plantabis eos in loco hereditatis tuæ firmissimo habitaculo tuo.* De quo loco Deuter. pulchrè disserit Philo in libro *quis diuinorum bonorum heres.*

Certum est secundò, quod iustus quoties iustificatur extra Sacramentum ex opere operantis condignè meretur primam gloriam, id est eam beatitudinem ad quam acceptatur per gratiam quam tunc acquirit. Ita communius docent Theologi ferè omnes, quibus repugnant Vega, Lorca, & Paludanus nitunturque ratione non contemnenda, quia scilicet non meretur ille qui iustificatur, sanctificantem gratiam nisi congruè, ergo non meretur etiam nisi congruè gloriam ad quam acceptatur per illam gratiam, persona enim indigna, nihil meretur condignè.

Contraria tamen sententia communior est & verior, quia quoties Scripturæ, Concilia, & Patres inculcant nos mereri gloriam per actus bonos indifferenter loquuntur de tota gloria, non autem de solo illius augmento, Coloss. 3. *Scientes quod à Domino accipietis retributionem hereditatis, Domino Christo seruite:* & Tridentinum sess. 6. Can. 32. dicit iustificatum bonis operibus quæ ab eo per gratiam Dei sunt verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam ab augmento gloriæ, si ergo concluditur ex eo loco

quod condignè meremur augmentum gratiæ, concludi etiam debet quod totam mereamur gloriam. Deinde à priori ratio est, qui si quid impediret condignum meritum primæ gloriæ, non aliud esset quàm indignitas personæ operantis quæ gratia caret tunc cum operatur: sed hoc non obstat, quia eo instanti naturæ quo peccator per bonum opus meretur gloriam, iam prius natura gratiam habet, ergo quamuis per tale opus non mereatur gratiam nisi congruè, gloriam tamen quæ illi responderet meretur condignè cum priusquam mereatur gloriam, iam censetur dignificatus esse per gratiam.

Ex quo soluitur argumentum quod proponebatur, fateor enim eum qui iustificatur congruè solum mereri gratiam, quia meritum gratiæ est à persona indigna cum non supponat subiectum iam dignum, meritum autem gloriæ præsupponit gratiam iam datam, opus ergo illud prout est meritum gratiæ est à persona indigna, prout autem est meritum gloriæ est à persona digna & sancta, idè est meritum condignum cuius omnes conditiones in illo actu reperiuntur. Dixi tamen quando iustus extra Sacramentum ex opere operantis iustificatur, si enim ex opere operato per Sacramentum iustificetur tunc nullo modo condignè vel congruè primam gloriam meretur: opus enim operatum meritum non est ipsius operantis ut patet.

Certum est tertiò, quod iustus condignè meretur augmentum gloriæ, totamque gloriam non solum essentialē, sed etiam accidentalem, coniunctim enim meretur utramque & gloriam accidentalem meretur ut aliquid connaturaliter sequens gloriam essentialē. Neque obstat quod gloria essentialis exhaurit meritum totum boni operis, ex eo enim concludi similiter posset quod non idem illud opus mereri posset gratiam: exhauritur ergo totus valor meritorius gloriæ essentialis, circa gloriam essentialē, non prout est meritorius gratiæ, vel gloriæ accidentalis, unde per opera bona illam etiam meremur, verbi gratiæ, aureolas & alia omnia quæ complent statum beatificum, qui finis est vltimus & corona bonorum operum ac totius gratiæ.

Certum est quartò, quod iustus in cælo nullum omnino habiturus est gradum gloriæ quem habere non meruerit in hac vita vel ex opere operantis per actus suos bonos, vel ex opere operato per Sacramenta: quia scilicet gloria respondebit gratiæ, nemo autem gratiam habiturus est in patria quam non obtinuerit in via, vel per bonos actus, vel per Sacramenta, ergo neque habiturus est in patria ullam gloriam. Quæ ratio mihi videtur grauissima etiam si sola esset, addit autem plurima & optima eam in rem Suares, lib. 12. cap. 31. neque tanti est axioma illud vulgare Theologorum: *Quod Deus infra condignum pœnas erogat, præmia supra condignum retribuit:* Potest enim Germanus hic esse sensus axiomatis quem habent verba illa Pauli: *Non sunt condigna passionibus huius temporis.* Significatur enim quod si opera bona iustorum considerarentur purè in se ipsis seclusà Dei promissione, ac gratiæ etiam præueniente ac subsequente certè non essent æqualia, cum sint momentanea & leuia, operentur autem æternum gloriæ pondus. Et hæc de gratia dicta sunt satis per Dei gratiam ad Dei gloriam.